

A K. 328.9

5,530



LAETITIAM
IN SIGNIS AD MEMORIAM
SEMPITERNAM DIEI,

Q V O
VIR PERILLVSTRIS ET GENEROSISSIMVS,
DITERICVS GOTTLIEB
DE WITZLEBEN,
DYNASTA IN WOLMERSTEDT, CET.

SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI PRINCIPIS S. R. I. ELECTORIS,
DVCIS SAXON. REL. MILITVM PRAETORIANORVM VICARIA
POTESTATE TRIBVNVS,

HEREDITARIVS COENOBI AC SCHOLAE ROSLEBIENSIS.

ADMINISTRATOR

P V B L I C E I N A V G V R A T V S E S T ,
R E P E T I T ,

S I M V L Q V E A D O R A T I O N E S ,
I N I L L A S C H O L A A . D . III . ID . AVG . A B H O R A A N T E M E R I D I E M
N O N A H A B E N D A S ,

Q V A M P O T E S T , H V M A N I S S I M E I N V I T A T ,

O B I T E R

D E E X C V S A T I O N E O F F I C I I I N S C R I B E N D O
D I S S E R E N S ,

I O . G O T T F R . S C H M V T Z E R ,
A . M . E T R E C T .

L I P S I A E ,

E X O F F I C I N A B R E I T K O P F I A
A . D . C I C C C L X V I I I .





Et in Thuringis, Roslebii, apud flumen Vnstrutum,
sive Onestrum malis adpellare, schola non ignobilis,
coenobii, quod sanctimoniales Augustinianae olim
incolebant, hospita^{*)}: ei diuinorum beneficiorum anno supe-
riori **CIO IO CC LXVII.** dies mensis Augusti vndecimus maximum

A 2

velut

*) Videant, quorum refert, qui que
non ita sapiunt, vt, id quod sciunt, ne-
sciant, duo potissimum programmatu
nostra, alterum de ludo coenobii Rosle-
biani *inſtauratiuo*, atque adeo de coeno-
bii ipsius nomine, situ, auctoribus, deque
prima scholae noſtræ origine, ſtatu pri-
ſtino ac florenti, calamitatibus, bene-
ſificiis maximis, partim veteribus, par-
tim nouis, domicilio illuſtri, aliiſque
pluribus, quea ad rem ſcholasticam
Roslebianam, ſuperiore memoria velut
accifam, tunc felici auſpicio reſcreſcen-
tem, pertinere viderentur, exponens;
alterum *Homerum eunuchum* demon-
ſtrans, ſimil vero disciplinae atque in-
ſtitutionis publicae, quam adhuc ſequi-
mur, rationem: quoram vtrumque
Lipſiae, typis Breitkopfianis, illud qui-
dem A. 1748. plag. 4 $\frac{1}{2}$. hoc vero A. 1753.
plag. 4. expreſſum eſt, in forma 4.
Conf. noua acta eruditorum Lipſiensia,
ſermone vernaculo confecta, *neue Zei-
tungen von gelehrtē Sachen*, ad

A. 1753. P. I. N. 69. pag. 624. et ad A.
1755. N. 83. P. I. pag. 740. seqq. Et
vero eorum, qui, rebus noſtris ſenſim
refectis, ad pietatem humanitatemque
omnem nutriti et instituti ſunt, multos
iam conſtat illis locis, nonnullos am-
pliſſimis, adnotos eſſe, vnde fidem
ſuam et auctoritatem famae lycei noſtri
commodare poſſint. Nec dubium eſt,
ex ſexaginta disciplinae noſtræ alumnis,
quorum triginta, praeter beneficia
ſcholae communia, etiam mensa gra-
tuita quotannis fruuntur, reliqui ſolum
conuiūtus preium, numerandis per
hebdomades ſingulas decem et octo groſ-
ſis, perſolunt; non igitur dubitamus,
fore plerosque, qui in posterum quo-
que collectas hic doctrinae, modeſtiae,
prudentiae copias ſuis quique patriis
impertiant, et quas ipſi quaſi colonias
deducunt, eas comiter venerari hanc
ſtudiorum ſuorum matrem, hos Abori-
gines ſuos, doceant.



velut cumulum attulit. Auspiciis enim Serenissimi ac Potentissimi Principis, FRIDERICI AVGVSTI, S. R. I. Electoris, et Sax. Ducis, cet. Domini nostri clementissimi, ac de voluntate Tutoris eiusdem regni, Serenissimi atque Indulgentissimi Principis, XAVERII, illustrissimus heros, et titulis suis omnibus maior, DITERICVS GOTTLIEB DE WITZLEBEN, natus huius scholae atque coenobii, hospitiu illi praebentis, ADMINISTRATOR, sollempni ritu festisque caerimoniis, ipso eo, quem commemorauimus, die inaugurus est. Cuius verissimi PATRONI sui multa et excellentia bona, id est, sua, quod non ignoraret, nec, si data sibi optio esset, et plenum ius eligendi, inueniret, cui maiori fiducia, euentuque feliciori se tradere in fidem et clientelam posset, valde admodum gaudia est, gaudetque, et gaudebit, vinculis nimirum admirationis atque amoris sempiternis illi coniunctissima. Salve, MAECENAS illustrissime, cuius spiritu nostra continetur incolunitas, cuius indulgentia, sapientia, fortitudine felices sumus, quicumque in hac bonae mentis, et omnis honestae doctrinae officina vel docendi sustinemus provinciam, vel discendi causa versamur. Salve, VVIZLEBI, heros inclute, salve vnicum maximum decus ac praesidium scholae nostrae, cuius nomen dici non potest, quin TVI simul nominis, TVAEQUE familiae illustrissimae memoria usurpetur. Salve, exoptatissime PATER; neque enim hanc pietatis, amoris, gaudii nostri adpellationem respuis: salve, et vitam viue, quam longa, quam felix, quam honorata vlli mortalium concessa est, et clientelam TVAM souere liberalissime, vt soues, et respicere omnibus in rebus perge.

Nunc vero illud est, quod nisi hanc nobis mentem DEVS O. M. dederit, vt tanto suo munere recte vtamur; nisi neruis omnibus connitamur, et elaboremus cupidissime, vt officio, ac potius pietate, leuiore tamen ipsa meritis, erga PATRONVM indulgentissimum cum aliis, tum nobis videamur satisfacere; nisi cura eius atque propitia voluntate, tamquam calcaribus, pro se quisque instigemur ad partes nostras tanto alacrius digniusque

pera-

peragendas, quum eam solam pietatis et grati animi significacionem relinqu nobis prope sentiamus: parum intellexisse felicitatem nostram, vel non pretio suo aestimasse, iure accusemur.

Quin facimus palam, persuademasque, si quid veritas vallet, parentibus, nusquam pignora sua melius, et maiore cum spe prosperrimi successus deponi, et ad opem publicae rei ferendam institui paraque, quam in prouidentis adeo parentis publici finu posse? Age sane, conemur sedulo, dum seruitutem nostri officii liberalissimam iucundissimamque testimonio perpetuo adstringamus.

Iamque prodibunt in medium iuuenes quidam, cum virtutis omnis atque elegantiae, tum pietatis studiosissimi, infra nominandi, et, quibus ad dicendum viribus valeant, experientur, quantumque industria in summam totius profecerit spei, ut oratores verborum *), gratissimum praesertim animum erga MAE-CENATEM suum declarantium, actoresque rerum, in DEI immortalis gloriam, aliquando efficiantur. Cui actui publico quum praeludere more sollemni oporteat, et aliquid non inutilis doctrinae proponere, placuit, super hac ipsa necessitate pauca differere, atque, in scribendo sine officii probanda excusatio, anquirere.

Videtur autem, ut in colendo, et negligendo, sic in excusando officio aut honestas sita, aut turpitudine esse. Quod quum ab obligatione et lege ducatur, atque cernatur in eo, cuius faciendi omittendique necessitate quadam adstricti sumus, totidem eius formas, quot obligationis, dari, officiumque aliud perfectum esse, aliud imperfectum, seu medium, quis nescit? Ipsa vero ratione ad honestas bonasque actiones suscipiendas, turpes malasque fugiendas obligamur, quae et veri omnis, et officii iudex est. Nec tamen ego loquar de officiis, et docebo sus, ut aiunt, philosophos, quorum quidem haec quaestio communis est. Non enim nunc officium agitur, sed illud, quo modo, a scriptore praesertim, excusatetur.

Alii

A 3

Gau-

*) CIC. de Orat. III. c. 15. et HOM. Illad. I. 443.

*Gaudent scribentes, et se venerantur, et vltro,
Si taceas, laudant, quidquid scripsere, beati *).*

Sed hi fere sunt, qui officii consiliique omnino expertes, nihil vident, nisi quod lubet; de quibus iam olim M A T T H. S C H E N C R I V S **): placuit numquam mihi, vere vt dicam, illa nostri temporis πολυγραφία, et scribendi immoderata licentia, eo iam pridem progressa, vt non modo in mentem, sed in buccam quidquid veniat, mandare litteris plerique non dubitent, planeque illud P E R S I I esse verum, habere persuasum videantur, *scire suum nihil esse, nisi se scire hoc, sciat alter:* magno illud quidem suo cum dedecore, sed maiori litterarum ipsarum bonarum, hominumque, etiam vere litteratorum, cum damno ac probro; quae temeraria ista atque turpi ineruditae eruditionis ostentatione in contemtionem adducunt tantam, nihil vt illis hodie esse videatur vilius atque abiectius. Scribunt enim atque emittunt, quae praeter eos, qui eamdem scribendi licentiam fibi permitti volunt, et paucos alios, quos tituli mendacis, et aureos montes pollicentis splendor fortasse decepit, emit atque attingit nemo, quorumque plena statim, vt exierunt, sunt non bibliopolia, sed pharmacopolia, non, vti par erat, hominum doctorum bibliothecae, sed aromatariorum, institorum, mercatorumque tabernae; nec immerito sane. Nam si reprehensione digni C I C E R O N I S sententia ii sunt, qui, quam recte sentiant, eloqui tamen polite, quod sentiunt, non possunt; intemperanterque cum otio, tum litteris abutuntur, qui quas mandant litteris cogitationes suas, nec disponere, nec illustrare possunt, nec delectatione aliqua allicere lectorem: quid de iis sentiendum est scriptoribus, qui nec res, quas explicandas sumunt, satis intelligent, nec adhibere in eloquendo ornatum illis yllum curant, aut etiam possunt; sed res tractant vel perugatas

*) H O R A T. Epist. II. 2. 107. seq. Tom. X. Amoenitatum litter. S C H E L
**) In epist. ad Hieron. V uolium, HORNII, p. 1503. seqq.

uagatas ac vulgares, vel sibi non magis, quam aliis cognitas atque perspectas, et oratione vtuntur inculta et horrida, cuique nec gratiam adferat verborum elegantia, nec pondus addat sententiuarum grauitas: qualis profecto hodie (dicendum enim omnino est, quod sentio) multorum oratio est, atque haec fortassis ipsa, qua in insectandis aliis nunc vtor; sed quae veniam vel hoc nomine meretur, quod eam tua mihi extorsit, **VVOLFI**, ignauiae meae, id est, vt ego quidem interpretor, **neglecti officii** non semel usurpata exprobratio. Eius enim vt ego criminis suspicionem a me amouerem, necesse mihi fuit, meam ostendere eloquentiam scilicet. Haec et multa alia homo egregie cordatus de scriptorum vel inscitia, vel arrogantia, vel temeritate. Reliqua coepit persequi **CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS** *), quem in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur, et de studiis litterarum bene meritum iudicat.

Neque vero istos solum, sed alios quoque, qui ex officio suam censeri rationem, et facultatem volunt, tanta velut $\lambda\sigma\gamma\delta\alpha\pi\beta\omega\alpha$ arripuit, vt raro videantur confistere.

Ain' tandem? Etiam officiosus homo, cui scribendi cauſa considerata est atque prouisa,

— — — *albus in officiis* **)

vituperandus est? Non sane, si bonus officiorum ratiocinator sit, et addendo, deducendoque possit videre, quae reliqui summa fiat; ex quo, quantum cuique debeatur, intelligat.

Nota autem sunt haec translaticia: est, cui gratulemur ***), quem consolemur; oratiunculae quaedam habebuntur, ad quas audiendas

*) *Compet. reipublicae litter. c. VII.* §. 22. seqq.

Ieuiter perstringeret, ipse *Io. Gottfr.*

Alberto, doctori Philosophiae recente-

creato, versibus Germanicis gratulatus,

A. 1741. qui versus prodierunt typis

I. C. Langenhemii, plag. 3.

**) *MARTIAL. Epigr. I. 55.*

***) Fuit non nemo, qui gratulato-
ges imprudentes, ac moleste sedulos haud

audiendas humaniter inuitem; gratias oportet agere, v conciliare,
et conseruare amicitias. Scilicet *principio iuris et iustitiae*

officium cras
Primo sole mihi peragendum
Quae causa officii est? quid quaderis? nubis amicus *).

Ita officio praetoris intererant, vel togae virilis, nouos consules salutabant, quos deducebant in capitolium, curiam, forum: de quibus aliisque generibus tralaticiis honoris habendi, et connectendae amicitiae, in primis argentea illa, quam vocant, aetate verbum officii coepit frequentari **); quamquam haec verbi vis non post CICERONIS tempora, ut CASAVBONVS *** censuit, demum inuecta est, sed ex ipso CICERO rectissime probatur†. Neque tamen humanitatis est, haec atque alia officia huiuscmodi a quoquam, contra ipsius commodum, exigere: et scriptor, memor sui, cauebit, quod stultum foret admittere; praesertim si plura maioraque eum negotia detineant ac demoren-
tur. Quemadmodum igitur illa, de qua diximus, adsiduitas tenuioribus, et non occupatis amicis fuit honesta, quibus suus officiorum fructus non erat cripiendus; nec PLINIVS veritus est, ne PAVLLINVS alter, ac vellet, acciperet, nisi cum calendis statim consulem viderer, necessitate locandorum praediorum detentus ††: ita nullum est ἀποπρονυμένον, quod scriptor vereatur, qui in contentione et comparatione honestorum ac bonorum praeferat id, quod maius ceteris esse constet.

Quid enim? officii erga alios quum meminerit, prium de se, quidque sibi debeat, non cogitabit? Quid? existimatio, dedecus, verbane sunt atque ineptiae? Quid? nonne auctoris boni est, et sapere rectius, et utilitat prouidere communi, et scriptores veteres

*) IVVENALIS II. 132. seq.

VVINI Mose et Aarone, Lib. VI.

**) Referas hoc licet propinancem

c. 4. §. II.

Græcum v. c. ex EVERH. FEITHIO, antiquitatum Hom. L. III. cap. 5. §. 7. vel Romanum, apud PETRONIVM, c. II^o, vel Iudeum in TH. GOODI

***) In animaduersionibus ad AVG.

cap. 53.

pro Murena, c. 33. 34.

†† Lib. IX. epist. 37.

veteres doctrina, eloquentia, animo, virtute, humanitate, modestia, urbanitate, toto denique orationis habitu, et eruditiore illa differendi ratione, pro suo quidem ingenio, referre *). At qui caussas, cur diuini illi homines ad scribendum se contulerint, sapienter me facturum video, si IO. MATTHIAE GESNERO delegem indicandas: quis enim aut intellexit melius, aut dicere potuit suauius? Non, inquit, famis pellendae ergo, non perfundorie, ut moribus, aut officio alicui satisfacerent, non humili alia caussa, qua hodie plerique libri eduntur, sed eo consilio scripserunt, ut quales ipsi in vita, et re publica fuere, id est, viri maximi, et patriarcharum suarum principes, virtute omni cumulati, tales etiam ex libris suis cognoscerentur apud posteros, tales ipsos quoque posteros, felici quodam sensuum, et morum contagio, ex ipsis illis animorum suorum reliquis hausto, redderent. Si enim recte dixit, quicumque primus dixit, orationem esse ipsum animum nostrum, foras prodeuntem: profecto mens, et animus, et virtus TULLII est, quae ad animum meum peruenit, et cum eo coniungitur, quoties scriptis ab illo legendis me intendo. Haec tenus GESNERVS **). Tum autem diuinitus hunc de scriptoribus classicis locum tractauit vir summus, IO. AVG. ERNESTVS, in sua, quae inter optimas et excellentissimas est, ad CICERONEM praefatione ***). Nempe

Vidu-

*) HORAT. de A.P. v. 309. seqq.

Scribendi recte sapere est et principium, et sors:

Rem tibi Socratae patuerunt ostendere chartae, cert.

Conf. celeberrimi Angli, YOUNG, libellum aureolum de optimis auctoribus, sive Gedanken über die Original-Werke, in primis pag. II. seq. 16. 48. seq. edit. Germ. itemque SVLZERI, viri doctissimi, kurzen Begriff aller Wissenschaften, pag. 22. qui intercedendum arbitratur consuetudini vulgari,

vt ne quis omnino scribat, quin autores Graecos et Latinos, saltim praecepuos, cum cura, iterumque ac saepius legerit. Faxit, iuuet vox ista: veot.

**) In prolusione, publicis recitationibus, in NIEVPOORTI succinctam rituum Romanorum explicationem praemissa.

***) Conf. eiusdem prolusio academ. qua demonstratur, maius utilius esse, Latinos autores intelligere, quam probabiliter Latine scribere. Lips. 1738.

B

*Vitius genium debet habere liber *);
et, quod ipsum videtur aeternum,
— — librum scribere, difficile est **).*

Quid igitur? Titulusne officii, aliis praestandi, sapientes facit, et disertos? Mirum, ni aut libenter, quae vult, credit officiosissima illa scriptorum natio, aut inanem laudis speciem persequitur, aut ignominiam timet falsam et opinatam.

Sed caueant, qui isto sunt animo, vt de nulla re, nisi de officio erga alios cogitare videantur, ne quid eorum conueniat in se, quae dicta sunt ab HORATIO, et SCHENCKIO, quem supra commemorauimus, in scriptores deliros et inertes, illosque adeo, quos inter c. VVEISIVM vomuisse, δύνηται scilicet, vt scriberet, nec epulas, vnde conquistas, pulchre satis concoxisse, B. BALBINVS, bona cum venia eius, existimauit ***). Ac facile omnes, dum valemus, rectum consilium aegrotis dabimus, monebimusque, vt, nisi πάντων ἡδίσε θεάματος ἀθέατος esse immortalitatis candidatus †) velit, praeclaram SOCRATIS vocem, dignamque tanto viro, tamque sapiente, audiatur, qui, hanc viam ad honorem et gloriam proximam et compendiariam, dicebat, esse, si quis id ageret, vt, qualis haberet, talis esset. Ignominiam vero, vnde petitur, certo effugiet, modo vt sermones partim proletarios vulgaresque, et imperitos contemnat, partim, vbi opus sit, postulet aduocationem, partim contra officium esse, sciatur, maius non anteponi minori.

Lepidissimus est PLAVTI ††) locus, ac dignus, qui hoc adponatur, aliquantum ad has scribendi dapes audioribus nullo negotio admodandus.

PE.

*) MARTIALIS Epigram. VI. 60. SENECA ad Helu. c. 9. vomunt, vt edant, edunt, vt vomant, ceterum.

**) Id. Lib. VII. 85. Add. PLINIVS, Lib. III. ep. 21. †) Vid. XENOPHONTIS ἐπομημονεύματων, Lib. II. c. I. §. 31. edit. Ernestinae, et PLINIVS panegyrr. cap. 63.

***) In epistolis Yuestanis, A. 1715. a C. G. HOFMANNO editis, p. 298. ††) Mil. III. l. 153. seqq.

P.E. *Nunc, quod occipi, obsonatum pergam.*

P.L. *Commodulum obsona, ne magno suntu: mihi quiduis sat est.*

P.E. *Quin tu iſthanc orationem hinc veterem atque antiquam amoues.*

Nam proletario sermone nunc quidem, hospes, vtere.

Nam ii solent, quando accubuere, ubi coena adpositum est, dicere:

Quid opus fuit hoc, hospes, sumtu tanto, nostra gratia? — —

Sed iidem homines numquam dicunt, quamquam adpositum est ampliter:

Iube illud denuo tolli, hanc patinam remoue, pernam nihil moror;

Aufer illam offam penitam, probus hic conger frigidus:

Remoue, abi, aufer, neminem eorum haec affuerare audias;

Sed percellunt se, et procumbunt, dimidiati dum adpetunt.

Sic nescio, an, quod scriptor per se facturus erat, et ad laudem suam vtile credebat, alias ipsi debeat,

Vilitas sua fit, titulus donetur amico).*

Aduocationem autem satis longam dederunt **HORATIVS** **), et **EVRIPIDES**, Alcestidi, poetae, respondens ***), quam sua cuique ratio commendabit.

Itaque quum quaeratur, ecquis scriptor officii excusationem habeat, sententiam censeo diuidendam. Quatenus de eo dictum est, qui aliis debet, siue quod ita existimat, siue quod ita est, nec

B 2

scri-

*) OVID. A. A. II. 293.

***) Apud **VALERIVM MAX.**

**) *De arte poetica*, v. 292, seqq. Lib. III. c. 7. ext. I.
388. seqq.

scribendi facultate pollet, officiumque minus praeponit maiori, illum relinquo, et in alia omnia discedo: de maiori et antiquiori, excusanti adserentio. Et hoc amplius censeo: alterum nec publico munere, nec auctoritate cuiusquam, iussuque, si quid prelo subiiciendum curet, hoc est, ut plerique interpretantur, scriptroris agat partes, defendi; alterum recte atque ordine, ex que re publica, pro sua virtute ac fide, facere, quod, a provincia, quam sortitus est, ipsa plurimum districtus, otioque, et aliis opportunitatibus destitutus, non scribat, certe nihil festinet, eamque rem bonis omnibus gratam et acceptam esse, eique Hesiodeum illud, ac Socraticum *καδδύναμιν ἔρδειν*, tenenti, eam rem honori dignitatique fore.

Legat mihi aliquis illam MATTIAE SCHENCKII quo longiorem, hoc meliorem epistolam, qua HIERON. VVOLFI se quidem, a scribendo abstinentem, excusat, aliasque, tamquam proletarios, scriptores reprehendit et exagit: non esse infitiandum sentiet, et ipsum, qui, quantum praestare potuisset, si famae, quam scholae, consulere maluisset, vna hac oratione, eaque luculenta, declarauit, et eos omnes, qui, secundum PLINIVM, officio aliquo, ut magno, ita molesto, distringuntur, quibusque ab re sua tantum otii non est, aliena vt current, excusationem sapientem, non modo probabilem habere; nec tam his esse facile, aliis obsequi, quam aliis praeципere facile est. Scribere autem, SCHENCKIVS inquit, quae nemo legere dignaretur, ne volui quidem: ut, si conferendum exemplum, et explicanda res similitudine sit, videar vere dicturus, eamdem in hoc genere rationem esse meam, quae esse quorumdam dicitur, ad contrahendum matrimonium tardius adgradientium. Quemadmodum enim illi se alienum a coniugio habere animum negant, cunctari autem eo se aiunt, quod, quarum puellarum probentur mores sibi, expetantque nuptias, earum potiri non possint; ab iis autem, quae nubere sibi fortasse non recusarent, ducendis abhorreant: sic ego, inquam,

quam, vere dixerim, a scribendo me et iusto metu absterrei, et iudicio certo abstinere, qui id quod cupiam, tuque exspectas, praestare me non posse, intelligam, iis autem scribendis, quae possem, quaeque nihil neque voluptatis, neque utilitatis lectori esse adlatura videantur, oleum operamque perdere nolim.

Quid? quod ex veteribus multi, quum doctrina et ingenii abundarent, solo ore docuerunt, rati, non magis prodesse humano generi, qui libros emittant bonaे frugis, quam qui totos sedent erudienda iuuentuti, pluresque faciant idoneos ad praecepta sapientiae, tam viua voce, quam scribendis libris optimis, propaganda[¶]): in quibus **SOCRATES** numeratur, is, qui eruditorum omnium testimonio, totiusque iudicio Graeciae, cum prudentia et acumine, et venustate, et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cuimque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps; cuius ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis **PLATO** in primis, et **XENOPHON**, tradiderunt, quod ipse litteram **SOCRATES** nullam reliquisset ^{**}). De illis, quorum ratio et voluntas hodieque a scribendo abhorret, aut quos numquam minus esse otiosos dicas, quam quum otiosi, nec minus solos, quam quum soli sunt; quod **P. SCIPIONI**, qui primus Africanus appellatus est, de se vera cum gloria praedicare licuit; nulla enim eius ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat; ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inuestigationeque earum rerum, quas cogitatione consequebatur, nec otiosum, nec solum unquam fuisse ^{***}): de his igitur, quos animi quodam iu-

B 3 dicio

* Conf. **CHRISTIAN. FALSTERVS. Memor. obscur.** P. II. de ingeniiis Roman. quae eruditonis et litterarum gloria absque scriptis floruerunt,

nec non **HEVMANNVS**, I. c. c. VII. §. 28. seqq.

) **CIC. de Oratore, L. III. c. 16.

***) **Id. de offic. III. I.**

dicio ab opera scribendi auersos videmus, quosque duae res, quae languorem adserunt ceteris, ut scipione m, acuunt, otium et solitudo, quandoquidem officium excusant nullum, dicere in praesenti nihil attinet. Ceterum etsi tantus est nostris temporibus scribentium prouentus, ut desiderari haud inscite ab hevmanno potuerit nouis orbis legentium *): at peccare tamen, leuius saltim, quibus et scribendi facultas, et otium litteratum, (quid autem dulcius?) suppetit, si effingere aliquid et excudere omittant, quod ad percipiendam colendamque virtutem, et augenda pertineat commoda publica, nulli dubitamus. Nisi vero procul errare videmur cum illis, qui communis utilitatis derelictionem contra naturam esse existimant, ac sententiam probant senecae **), multum interesse docentis, vtrum vita nostra otiosa sit, an ignaua: viuere eum, qui se vtatur; qui vero latitent ac torpeant, sic in domo esse, tamquam in condituo.

Verum de his, ut in cretionibus solebat, **QVIBVS SCIERIS POTERISQUE.** Redimus ad proprium scriptio[n]is huius argumentum. Dies mensis Augusti XI. insignis laetitiae, quam ex inauguratione **MAECENATIS** nostri illustrissimi, anno superiori feliciter peracta, cepimus, memoriam reducet: quo die, nisi quid interpellat, iuuenes, egregiis ingenii dotibus ornati, quas adhuc commentati sunt, orationes, fatis elegantes, nihil aliud, quam pietatem suam et industriam testaturi, publice habebunt. Ecce tibi eorum nomina, eo quidem ordine, quo dicturi sunt, a nobis collocata. Proponet autem

AUGUST. HENR. CHRISTLIEB GOESCHEL, Kelbra
Thuring. *Maecenates nonnullos antiquiores, orat. Lat.*

IO.

*) l. l. cap. IV. §. 70.

**) Epig. LV. et LX.

IO. CHRISTOPH. WEISHVHN, Langenrod. officium eruditorum in religionem, or. Lat.

IO. CHRISTOPH. FRIDERICVS KOERTING, Kirchheiling. cultum eruditorum nimium, orat. Lat.

IO. CHRISTOPH. LEBERECHT LIEBSHER, Langendorf. vitae rusticæ laudes, circa eosdem sensus, quos HORATIVS Epop. II. exposuit, certare, atque aemulari conatus, versibus Lat. iisque heroicis;

CONRAD. FRIEDEMANN HORNUNG, Kelbranus, aemulationem veterum Graecorum, orat. Lat.

CHRISTIANI FRIDER. KAISER, Winkel. Thur. viri docti de contemtoribus religionis rectum iudicium, orat. Lat.

CHRISTLIEB AEMILIUS BALDAMVS, Rosla Stolbergensis, vota Musarum Rosleb. soluta, et nuncupata noua, ode German.

Quos ut almae Rosleianae ADMINISTRATOR ILVSTRISSIMVS, GENEROSISSIMVS, INDVLGENTISSIMVS audire velit, pia animi mei religione, et obseruantia summa, etiam atque etiam rogo. Vos, quibus

Zf 5910 04 X 318702


bus haec nunc traditur tabella, VIRI, GENERIS, MVNE-
RVM, MERITORVM, LITTERARVM ETIAM NO-
MINE SVSPICIENDI, VENERABILES, AMANDI,
adeste, si per cetera negotia licet, frequentes, et fauete di-
cturis; id quod reuerenter admodum humaniterque a VOBIS
precor. P. P. Roslebii, X. Cal. Augusti A. R. S.

clo Is ccl X VIII.




B.I.G.

Farbkarte #13



A K. 328.9.

5,530



LAETITIAM
IN SIGNIS AD MEMORIAM
SEMPITERNAM DIEI,

Q V O
VIR PERILLVSTRIS ET GENEROSISSIMVS,

DITERICVS GOTTLIEB
DE WITZLEBEN,

DYNASTA IN WOLMERSTEDT, CET.

SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI PRINCIPIS S. R. I. ELECTORIS,
DVCIS SAXON. REL. MILITVM PRAETORIANORVM VICARIA
POTESTATE TRIBVNVS,

HEREDITARIVS COENOBII AC SCHOLAE ROSLEBIENSIS

ADMINISTRATOR

P V B L I C E I N A V G V R A T V S E S T ,
R E P E T I T ,

S I M V L Q V E A D O R A T I O N E S ,
IN ILLA SCHOLA A. D. III. ID. AVG. AB HORA ANTE MERIDIEN
NONA HABENDAS ,

Q V A M P O T E S T , H V M A N I S S I M E I N V I T A T ,

O B I T E R

D E E X C V S A T I O N E O F F I C I I I N S C R I B E N D O

D I S S E R E N S ,

I O . G O T T F R . S C H M U T Z E R ,

A . M . E T R E C T .

L I P S I A E ,

X OFFICINA BREITKOPFIA
A. D. C I C I C C C L X V I I I .

